

QUAM  
D. T. O. M.  
PRÆSES  
*Totius naturæ*  
Clementer avertat,

# PESTEM

Ex

*Gratiosissimo Indultu & Autoritate*

Illustris Collegii Medici in Inclyta hac studiorum Universitate,

Pro

## LICENTIA

*Legitimè capessendi*

Supremos in Medicina Honores & Privilegia Doctoralia.


MEDICA HAC INAUGURALI  
DISSERTATIONE

Publico Eruditorum examini sistit,  
horis locoque solitis.

JOHANNES GUMMERT

Eylenstadenſis Saxo.

Ad diem 3. Martii, Anno M. DC. LXXXI.



ARGENTORATI,

Typis JOH. JACOBI DOLHOPFFII,

INCLYTIS

*Atq;*

GRATIOSISSIMIS

125897  
O T T O N I A N I

ET

SCENCKBECHERIANI

DIRIBITORUM COLLEGIIS

VIRIS

*Nobilitate Generis, munerum Am-  
plitudine, Consiliorum Gravitate, Reverenda Di-  
gnitate, Jurisprudencia, Experientia, rerum gerendarum  
authoritate atq; meritis in patriam longe  
Gravissimis,*

DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS, PA-  
TRONIS ATQUE MECOENATIBUS ÆTER-  
NUM VENERANDIS AC SUSPICIENDIS,

*Disputationem hanc suam Inauguralem*

Tanquam

*Grati animi Tesseram*

*d. d. d.*

JOHANNES GUMMERT

Eylenstadenſis Saxo.



Q. D. B. V.

**P**Roverbium, *Quod rarum earum.* in Medicis quoque, Si quicquam, verum esse, experientia passim ipsa testatur: thematum enim loco multi ad curiosa magis quam utilia attenti, hic de ciliis, de superciliis; ille de unguibus, de maculis unguium, de lacte virginis; iste de Gallico Planchette, de cornutis, de mystace & nescio quibus non superficialiis vel minùs Medicis disputare gestiunt. Ego patriæ miseris commotus Gratosiss. Facult. Med. ex indultu pro themate elegi illud, in quo maximè hæreo, *Pestem*; affectum omnino rarum, non quidem in libris; sed in causis suis atque methodo medendi. Non quod huncce nodum solvere confidam: sed ut ansam habeam varia hac de re legendi; legendo dubitandi; dubitando verò varias Doctorum sententias mihi eliciendi. Quod quò melius cedat, Deus animum atque calamum meum dirigat! B.L. v. omnia, etiam quæ minùs forsan ad palatum, bonam in partem accipiat!



§. I.

**P**Estis autem sive Pestilentia, à depascendo, Græc. λοιμός, νόσος, Germ. die Pest/ böse Krankheit/ das Unglück/ &c. dicta, ut in sensu morali variè; semper tamen pro re summè pernicioosa sumitur: ita Medicis quoque nunc miasma, nunc bubo, nunc anthrax &c. propriè tamen *Febris peracutissima, summè maligna, maximè contagiosa ac plerumq; epidemialis, à miasmate quodam venenato, l. in corpore genito, vel cum aëre inquinato attracto, aut per con-*

*ragium communicato, M. S . p. n. fermentante, in principia sua destructive  
 resolvente, spiritibusq<sub>3</sub> disjectis coagulante introducta, cum variis iisq<sub>3</sub> summè  
 Malignarum febrium Symptomatis, maximè tamen bubonibus, anq<sup>th</sup>racibus,  
 exanthematibus maculisq<sub>3</sub> versicoloribus stipata ac notata audit. Dixi  
 autem febris præter autoritatem Hipp. l. 4. de flat. Galen.  
 6. Epid. Com. 1. tr. 29. Unzeri, Jordani, Eustach. Rud. Hor.  
 Augen. aliorumque præclar. Medicor: hanc ob rationem: quod  
 cum reliquis malignis febribus quoad accessum, progressum,  
 causas ac Symptomata, Willisio testante ita conveniat, ut Loi-  
 mographi etiam vel nulla certa ac peculiaria in eâ signa inveniant  
 unde infallibilem sibi diagnosin formare possent, excepto unico  
 illo: quod plures in superiori gradu invadat ac plerosque eorum  
 quoque jugulet. Nam si quis obijceret: febrem non esse de es-  
 sentia pestis, quia non in omni observetur. R. Si hæc consequen-  
 tia valeret, sequeretur quod intermittentes tempore rigoris, &  
 cæteræ malignæ, quæ intus sæviunt, exterius blandiuntur, etiam  
 non essent febres: quod nemo tamen facile dicet. Et hæc febris  
 externæ absentiæ est illa ipsa summæ malignitatis nota, quæ,  
 spiritibus solutis, summam ob imbecillitatem (nam quò major  
 naturæ resistantia, eò major quoque febris) calorem externis  
 partibus nõ comunicat; sed intus in corporis perniciem reservat:  
 hinc æstus ille internus, anxietas, lipothymia, lingua sicca atque  
 nigra, sitis, inquietudo & alia symptomata oboriuntur. Quod  
 adeo verum, ut nonnulli etiam vix quemquam sine febre mori,  
 & sine febre mori, mortem violentam & mali ominis quid esse  
 æstimârint.*

§. 2. *Subjectum adæquatum (missis brutis animantibus, quo-  
 rum strages Germ. der Schelm vocatur) statuimus corpus huma-  
 num; nullo quidem vel exiguo temperamenti, sexus, ætatis (ubi  
 malum invaluerit) respectu. Nec obstat, quod Mercurial. d. Peste  
 Patavinâ scribat: solummodo servos ac ignobiles, utpote ma-  
 gis cacochymos, fuisse correptos: nam quæstio adhuc est: num  
 servorum an Dominorum corpora magis sint cacochyma? Ju-  
 raret aliquis: senes, scabiosos, hypochondriacos, lue ♀ affectos  
 & reliqua corpora cachectica omnium primò peste corripit; juve-  
 num verò atque Athletarum vigorem eam instar muri sustinere:  
 cum*

cum è contra in senum & cachecticorum sanguine ob acidi abundantiam majorem resistantiam; in juvenum vero atque eveccticorum, ob volatiliū (cui se volatile hoc venenum facilè associat) jam ante copiam maximè, Hippocrate teste, nidificare observemus. Non immeritò autem hic distinguimus inter subjectum morbi ac ipsius causæ: morbi enim seu prædicationis subjectum totum corpus sensatum, præcipuè verò cor cum genere nervoso; causæ vero seu radicationis Mm. Sm. cum nobiliori sui parte, omnis generis spiritibus agnoscimus.

§. 3. *Viam* autem, per quam hostis ille insensibilissimus microcosmopolin eor ingreditur, alii aliam sibi quæsiere. Plerique in eo quidem consentiunt, quod nunc cum aere in inspiratione sensibiliter; nunc per spiracula cutis insensibiliter corpori humano se insinuet: alii tamen dicunt, cum aere quidem illo modo inspirari; sed postmod. salivæ permixtum in ventriculum descendere, ejusque fermentum (nausæâ & vomitu teste) omnium primò destruere. Quibus alii in tantum solummodo subscribunt, quatenus aperto quis ore respiret; non cogitantes interim: miasma hoc narium mucos infixum cum eo per palati foramina in os, indeque una cum saliva æque in ventriculum derivari posse. Nos quidem, uti dictum, non negamus, aliquid veneni cum salivâ nariumque mucos, tanquam equo Trojano, in ventriculum deduci; aut in metu, tristitia intentaque imaginatione, calore & spiritibus circa eor concentratis, poris interim, tanquam microcosmi portis apertis, hostem venenum corpus nostrum ambiens & oppugnans, non solum per eos facile irruere; sed etiam ob vacui metum quasi attrahi, & infinitis ita viis M. Sæ permisceri: interim, salvo melius sentientium judicio, putamus omnium primò, tanquam speciem odorabilem (materiale) per organa olfactus cerebro communicari, spiritus animales, à quibus cordis actiones dependent, dissolvi, atque vitæ demum arcem ita expugnari. Nam si species odorabiles gratas atque spirituosas cor recreare videamus, quibus tamen præter dictam nulla alia via datur: quidni etiam pestem subtilissimum illud Gas hac via propugnaculum vitæ oppugnare crederemus? Et quæ alias præter hanc via, quâ Medicamenti nausæabundi ac ingrati, v.g. purgant-

tis, vel solus odor in delicatulis & nauseam & vomitum excitare solet, nominari mihi posset?

§. 4. *Signa Diagnostica*, & quidem *imminentis* sunt (1) ratione causæ (α) cœlestis, Astronomorum ex observatione constellationes infaustæ, fulgura nocturna sicca, stellæ cadentes, Solis maculæ, &c. (β) Sublunaris, terræ motus, ventus continuò australis, aeris quies, calor & squalor excessivus, annonæ caritas (μετὰ λιμὸν λοιμὸς &c. (2) ratione effectus fungorum, boletorum ac insectarum copia, avium insolita fuga, aquarum viror, aquatiliū mors, frequens abortus, panis sub Dio mucescentia, carniū facilis corruptio, exanthemata, variolæ, morbilli, alia. II. *Præsentis* æquivoca quidem est *Diagnosis*: invasio enim cum horrore & æstu interno, Capit. dolor, vigil. delir. convuls. oris ac linguæ siccitas, pulsus parvus inæqualis ac sanor: similis, anxietas atque palpitatio cordis, tristitia, virium absque manifesta causa prostratio, syncope, tussis sicca, nausea, vomitus, diarrhoea, dysenteria, sudor frig. ac syncopt. hæmorrhag. varia, petechiæ, urinæ versicolores, ac nonnunquam etiam bubones reliquis etiam malignis, Willisio & aliis affirmantibus, communissima quidem sunt signa: ex his tamen omnibus collectim & in supremo gradu sumptis, cum bubonum, anthracum (tanquam magis propriis ac receptis characteribus) & funerum (ab essentia pestis fluente) copia præsentiam ejus tanquam ex ungue leonem cognoscimus.

§. 5. *Prognosis* quanquam Hipp. ex sentent. §. 19. f. 2. occulti hujus mali, quod in facie vitam, in tergo funus gerit, occulta sit & fallacissima: Practici tamen, experientia docti, in primo malignitatis gradu bubones; in secundo anthraces; in tertio exanthemata, maculas (ob virus dispersum) maximè nigras, utpote Diligentissimo D. Dimerbrökio semper lethales observatas, collocare solent. Bubones bonæ notæ dicuntur, qui citò, ante, vel sine febre, in loco remotiori, cum symptomatum remissione erumpunt, citò suppurantur sensimque cum febre evanescent; mali, si contrario modo, in gutture, post febrem appareant, recedant, aut Carbunculus superveniat. Carbunculi dicuntur boni, qui statim in principio, in carnosissimis partibus, cum circulo rubro

rubro conspiciuntur; periculosi, qui in extremitatibus aut locis nervosis, tardè, longèque dissepentes observantur; lethales interni, circa fauces, super spinam, ac super venientes buboni. In cæteris sopor in principio, perpetuum delirium, post somnum labor periculosus: linguæ verò labiorumq; tremor, convulsiones, sternutatio, singultus mortis sunt prodromi. Virium in principio prostratio, pulsus intermittens, palpitiatio cordis valde periculosa. Evacuaciones criticæ, quacunque ex parte, uti fallaces; ita symptomaticæ, præsertim sexto die, semper fere lethales. Excrementa nigra, varia, foetidissima periculosa. Urinæ sanorum (meretrices dictæ) dubiæ; pingues, lividæ, nigrae, sanguinolentæ plerumque lethales. Raucedo, dolor in gutture absque tumore, lingua statim nigra, pleuritis, asthma, angina fatalia signa. Gravidæ & parturientes, ni fuga sibi consulant, vix evadunt. Medicamenta sudorifera absque sudore, aut vomitu rejecta; vesicatoria absque vesiculis vel cum æscharâ candidâ, interitum minantur. Sed uti dictum nihil certi subest; nam *Pestis in abstrusis ludens sua spicula condit.*

§. 6. *Causam* quod concernit, plerique in *primariam* S. principalem & *secundariam* S. instrumentalem eam distinguunt. Ubi per *illam* non solum Christiani Sacrae paginae; verum etiam Ethnici naturæ lumine ducti Numen Divinum nostris à peccatis variè offensum irritatumque; per *hanc* vero tanquam intra naturalem, omne illud, quod naturalibus ex principiis fluit, intellexerunt. Illi, tanquam hyperphysicæ, quam & ipse Hipp. multor. ex sententia per τὸ θεῖον suum indigitare videtur, certo modo Caco-dæmonis sagarumque malitiam, non unas hoc in mundo calamitates excitantem subordinamus: *hanc* vero, quæ solum Medicæ considerationis, dividimus I. in *internam*; eamque vel *proximam*, qualis miasma illud pestilentielle in corpore nostro (quemadmodum rabiosum in cane) seu genitum, sive aere ex inquinato haustum, seu per contagium communicatum; vel *remotam* antecedentem, quæ talis humorum corporis nostri dispositio, ab astris ipsis vel impressa I. per pravam victus rationem acquisita, qualis ad pestiferam hancce flammam concipiendam requiritur. Corpora vero h. m. magis I. minus disposita lignorum instar fuman-

tium

tium revera sese habent : Sicuti enim arida atque excalefacta citissimè admotam sibi flammam non promptè solum admittunt, sed etiam quasi attrahunt; è contra humida particulas ob aquosas Sulphureis permixtas non ita magnam aut facilè extinguiibilem fovent : ita illa, quo vegetiora, quò robustiora, eò citiùs pulveris instar pyrei incenduntur. Cujus etiam respectu *Procatartica* Causæ v. g. ira, timor, terror intentaque imaginatio &c. sunt instar flabelli, hanc antecedentem tanquam sub cineribus gliscentem flammam excitantis. Nam quid ira, quid imaginatio (*welche ärger als Pest*) &c. possint, tristia ubique exempla, stigmata ex utero & canities unâ nocte contracta testatum faciunt. II. *vel externam*: ubi aer p. n. affectus l. miasmate imprægnatus, ex necessariò nos alterantium numero facilè primas tenet. Quid vero in hujus alteratione astrorum possit influxus, mutationes anni, tempestates, vegetabilia, animalia sana morbosaque, imò pestis ipsa, circa novi- & plenilunium exasperari observata demonstrant? Num verò positivè, effluviis nimirum naturæ nostræ inimicis? an vero privativè, intercepto benignorum & relicto minustalium influxu? an denique accidentaliter, varia ex terræ cavernulis miasmata ad p. n. fermentationem corpora nostra disponentia proliciendo, ipsi Cœli videant Interpretēs. Quamvis autem multæ aliæ causæ, e. g. fames, fœtor cadaverum human. brutor. piscium, balænar. insectarum in terris l. littore maris flum. innumque putrescentium, aer in puteis, sepulturis, cryptis terræ diu inclusus, per motum ejus l. aliâ de causâ evibratus, pestem introduxisse Medicis observentur: meo tamen judicio, ista omnia sine præviâ dictâ corporum dispositione aut parum aut nihil efficient.

§.7. Miasma vero hoc cujusnam propriè sit naturæ, Loimographorum hætenus torsit ac torquet ingenia? Acquiescere hic cum Veneranda alias Antiquitate in occultis solummodo qualitatibus, relictis omnibus probabiliter postmodum adductis rationibus, Empyrici non Dogmatici est: naturæ sphæram extravagari, & cum diligentissimo aliàs D. Dimerbroek: mere *θεσιον* quid, recens creatum ac cælitus demissum statuere, Medicinæ minuit dignitatem, utpote quæ frustra in supernaturalibus adhibetur:



betur: tumidis verbis pestis tumulum conscribere & Cœlum quasi digito tetigisse sibi persuadere, impiam redolet arrogantiam: diligentissimè vero naturæ opera, in quantum nobis datum, perimari, & tamen æquo animo secundum Senecam nonnunquam velle nescire, modesti animi est indicium. Et ex hoc fundamento plerique in eo conveniunt: quod sit aliquid spirituosum, summè volatile, ac penetrantissimum, quod fermenti instar subtilis vel minima sui mole corpora disposita inficere, quotidie augeri ac per contagium longè lateque disseminari queat. Ast cum genus absque differentiis nihil determinet, quidam à posteriori propter symptomatum, quæ excitat, analogiam varia epitheta, sumpta nunc à vegetabilibus, e.g. Napellinum, Aconitale, &c. nunc à mineralibus Arsenicale, ☿ale, ☉ pigment. ♃ale, &c. vel ab animalibus viperinum &c. ipsi affinxere: ratio, quod pro more istiusm. venenor. nunc cor, nunc cerebrum, nunc alias magis partes occupatas observaverint. Quamvis autem non negandum, pestem A. à peste B. pro causarum varietate aliquo m. differre posse: interim, quia omnia hæc symptomata æque in peste B. ac peste A. promiscue plerumque observamus; & tamen in peste A. miasma ex diversæ sibi que contrariæ naturæ particulis (quæ prius in se ipsas invicem agerent) in eod. subjecto, aere sc. hæere durum videtur, nos symptomatum hanc varietatem non tam à veneni quam Subjectorum ac temperamentor. differentiâ dependere autumamus. Alii, qui febrem à putredine oriri statuunt, septicam ipsi facultatem ascripsere. Quibus Fracast. & Horat. Aug. subscribunt, quando pestis formale, hic in excellenti corruptione; ille in profunda & fordida putredine consistere voluere. Alii per particulas aculeatas, striatas, unciatas &c. explicare satagunt. Ath. Kirch. ipsi alas, pedes, rostra vitamque ipsam affinxit: eò quod microscopii beneficio in bubonibus talismodi bestialas observaverit. Ast quia hæc doctrina de particulis accuratum requirit microscopium: putredo autem & verminatio potius productum quam causa pestis sunt dicendæ, suis hanc autoribus remittimus. *Helmont. Tum. pest. p. m. 865.* multis in locis fracidum (Germ. *weich*) cognominat, ac si *Ma. Sa.* instar vini aut fructuum horæorum fracedinem, quæ via ad

putredinem, adscisceret. D. Sorbait *in tr. d. pest.* Vienenſe illud miasma terraqueum de ovo (obſcurum per magis obſcurum) baptizat. Fr. d. le Boe Sylv. *tr. II. d. pest.* volatile acceſſe dicit. Cui etiam Helmont. *in tum. pest. p. 172.* qui ventriculi fermentum in causticam acedinem, ut æscharam inducat, degenerare dicit, subscripsisse; & D. Alprunus Archiat. Imperatricis per destillationem pestilentis alicujus bubonis sibi probasse videntur. D. Barbett addit: Sal hoc volat. solvere Sal fixum corporis nostri. An E. Modernorum ex principiis, sit Sal aliquod volatile, summè alcalicum ac acceſſe, quod in Sulphur vitale s. humidum primigenium (uti excrementa oleosa & summe fœtida minantur) agat, ejusque partem oleosam instar saponis increasset; acidam vero tanquam vinculum mixtionis, absorbeat, spiritibus dissipatis, reliquisque principiis sui juris redditis Mm. Sm. congruere, fracescere & quasi vappescere faciat, & ita cor, circulatione impedita, suffocet, altioris ingenii Chymico-Medicis considerandum relinquimus?

§. 8. *Differentias* pestis essentialis, uti ex §. antec. constat, vix admittendo, reiicimus quoque, vi nostræ definitionis, accidentalem ejus, quam cum, & sine febre plerique faciunt. Maxima ejus tantum est secundum gradus malignitatis: quod quædam magis, quædam minus maligna. Reliquum, quod nunc cor nunc cerebrum magis offendatur, multum à partium magis vel minus debiliū differentia dependet; Si enim cor vegetum, cerebrum vero debilitatum, quale in lucubrantibus, melancholicis, Quæreis &c. venenum post levem vel nullam resistantiam pedem ibi figit. Sic, si qui anginæ, pleurit. nephrit. dysent. &c. dediti, ob vias naturæ consuetas partiumque debilitatem venenum eò quoque vergit, uti hæc & similia in aliis quoque malignis observamus:

§. 9. *Methodus medendi* (si quæ hic datur) *preservatione ac curatione* absolvitur. *Illæ* est vel Theologica & Politica: (quæ aliis curæ) vel Medica & 1. in causarum remotione 2. Subjecti præmunitione consistit. I. Causam removemus; Si humores corporis nostri ad fermentandum adaptatos reformemus; aerem verò miasmate inquinatum corrigamus. Sunt & inter illos, quantum

quantum scio primus D. Dobrzensky d. nigr. Ponte, qui ex ductu naturæ, quæ nauseabundorum ingratorumque ad aspectum salivam commovet, continuam salivæ in os confluentis, expuitionem omnibus circa infectos versantibus, tanquam universalem præservationem suadent, ne miasma salivæ per inspirationem aeris permixtum in ventriculum deglutiatur. Humores corriguntur 1. alterantibus, qualia sunt quæ Mæ Sæ acrimoniam mitigant e.g. Bezoartic. minerale, ☉are, Sacch. Saturni, Cinna-  
 bar. & Sulph. Antimonii, opiata &c. vel consistentiam ejus conservant, quo omnia acida, e. g. aceta Bezoartica, Spiritus mineral. Vitriol. Sal. & Sulphur. ( qui uti vinum à putredine, volatilia figendo; ita M. Sm. quoque à resolutione vindicat ) Tartar. Vitriolatus &c. pertinent. 2. Leniter purgantibus, ut sunt Pil. Francofurtens. Ruff. Specif. Jalapp. Decoct. Tamarind. Elix. P. P. Spir. Vitriol. acidulatum, noduli ex purgantib. & alexipharm. conflati, Medicamentum Heurnii. Et 3. denique V. S. mediocri, plethora, consuetudine, vel aliis eam suadentibus. Quo scarificationes, cauteria, & fongiculi ( magni in peste præsidii Medicamentum ) etiam trahantur. Aerem emendamus vel fuga ( sed non desperata contra conscientiam ) secundum illud: mox, langè, tardè &c, vel arte, ubi Hippocratis ad exemplum, nil melius quam ignis apertus ex lignis resinosis vel acidis, e. g. Junip. Laur. Querc. Fraxin. item suffumigia ex aceto vel aq. Vitriolata, Tartarifata, extinguendo in illis silices aut scorias ferri candentes. Pulvis pyreus quotidie quoque accendatur. Quibus omnibus tamen anteferendus fumus accensi Sulphuris comm. II. Corpus præmunimus vel vino & confidentia, Helmont. ex sententia: vel omnis generis Medicamentis. Vino: ubi non meracum; sed acidiusculum ac Sulphuratum, utpote ventriculo gratum, idque modice sumptum intelligendum. Confidentia: quatenus quis rebus suis in omnem eventum bene dispositis, Deo sibi propitio fretus mortis spicula non abhorret, & ad Medici istius Angli, apud Willif. sive vespillonum exemplum fortitudinem opponit timori. Sed videndum, ne crescat in audaciam, alioquin cum illo ipso Medico lues. Medicamentis, internis: ubi præ cæteris placet Aqua prophylactica Barbetti &c.

evternis, e. g. Balsamis variis seu ol. succin. Scorp. butyr. rec. narib. illitis. Odorata nimis, spiritus dissipant : sed cum aceto mixta naribusque in spongiola admota profunt. Amuleta ex bufon. ☿. arsenic. laudantur. Sed vide ne calefiant in corpore.

§. 10. In *curatione*, siquid. periculum in mora, Canon Medic. *universalia premitend.* &c. locum non invenit: V. S. enim uti in omnibus malignis; ita & in peste (cujus causam non tollit, & sub titulo refrigerationis æternum sæpe frigus inducit) stultum est consilium: Scarificationes vero atque vesicatoria, quia venenum ad externa provocant, à nonnullis substituuntur. Ita nec purgantium auxilium, nisi veneno superato, hic expectandum: Vomitoria autem maximè Antimoniata Vitriolata (quæ cito pensum suum absolvunt) statim in principio ante bubonum eruptionem, si cardialgia, nausea, vomitus &c. urgerent, à multis approbantur. Sunt, ut pluribus indicationibus simul satisficiant, qui alexipharmaca; cordialia & vomitoria commiscent, & pro hoc scopo ☉ vitæ Kcgleri, aquam bened. Rulandi, Oxyfach. emet. Salæ & vinum cum croc. metallor. infusum commendant.

§. 11. In Suderiferis vero Bezoarticis post Deum unicè ferè salus est quærenda. Et licet non farrago tantum horum proster varios apud authores: patientia tamen atque misericordia Dei pro Basi omnis Medicamenti constitutis, præ cæteris laudantur salia volatilia e. g. Bufonum, viperar. C. C. Tartar. fuligin. Flores Sulphur. simplic. Myrrhat. maximè vero Camphorati. Mistur. simpl. Elix. pestilent. Crollii, Ol. pestil. Heinsii. Sunt qui pulverem bubonum Pestilentialium exsectorum vel elapsorum & in furno calcinatorum summum tanquam specificum commendant. Alii spiritum sive Sal volatil. Sanguinis humani vel hirci solummodo substiruunt. Vienenses & alii ex pomo citri omnino commesto certum levamen habuisse perhibentur.

Ubi tamen notandum imò volatilia præcipuè locum habere, quando vires sunt prostratæ, petechiæ observantur, & bubones regressum minantur: è contra ubi vigiliæ, jactationes corporis, deliria &c. acida, aut cum acidis mixta e. g. Theriac. Andr. Mithridat. Diascord. Frac. & reliqua generosa Medicamenta etiam

cum aceto Saturni vel Theriacali &c. esse proficua. 2. Quo major veneni vehementia, eò efficaciora quoque medicamenta, v. g. spirituosa, Camphorata, quæ facile penetrant, esse eligenda. 3. Sudorifera 24. horar. spacio ter quaterve repetenda. Sed cave, ne animam exsudes : nam quæ evacuantur secundum Hipp. multitudine metienda non sunt. 4. Idcirco inter sudandum succis Citr. Granat. odorem cibisque acidiusculis corpus reficiendum. 5. Sudorem calidis linteis sæpius esse abstergendum & indusia, si possibile, non mutanda. 6. Vomitu si Medicamentum rejiceretur, repetendum & acidis ventriculum corroborandum. 7. Assumpto Sudorifero, omni modo eò laborandum, ut æger ad sudorem componatur : alioquin corrosivum illud venenum circa viscera aut intestina concentratum, ob vim unitam, Diarrhœam, Dysenterium, Anthraces aut Sphacelum intestinorum & alia fatalia Symptomata causare animadvertes. 8. Si vero delirium, inquietudo, dolor & alia sudorem retardarent, opiatu his medendum. 9. Sulphurata, Alœtica, Myrrhata, & Crocata Medicamenta uterum gerentibus, ob metum abortus, non convenire. 10. Veneno tandem omni expugnato, corpus leniter quoque purgandum.

§ 12. *Symptomata præcipua & quasi idiopathetica hujus affectus sunt bubones atque anthraces : quam vis pestem sine horum quoque præsentia Rod. à Castro describat.*

§. 13. *Bubones, qui Willisii tr. de pest. p. m. 155. ex mente, ex sanguine torrido & succo nervorum, sale & sulphure efferatis; aut secundum D. Dimorbr. p. 85. ex Alcalino veneno, sub seroso ac Lymphatico vehiculo, & succo subacido glandularum in adenum locis congregantibus, ac coagulatis generantur, ut eò citius prorumpant, commendant alii Empl. Magnet. arsenic. Hartm. vel attractiv. D. D. Mich. vel cauteria actualia & potentialia. Alii, ut venenum extrahant, pullos columbinos seu gallin. ranas vivas, bufones siccos in aceto maceratos vel menstruum primum virginis imponunt. Quia autem non semper suppurantur, lanceola vel cauterio e. g. butyr. Antimonii lapid. infernali aperiendi. Quod reliquum, Emplastr. ex cæpis cum Theriac. coctis, addit. Ol. Scorp. vel Digestivo ex vitell. ovar. Te-*

reb. Ol. ros. ( quibus alii semper aliquid de pulv. bufon. addunt ) maturetur, Balsamo Sulphur. quo nil præsentius, mundificetur, atque ex artis præscripto suppleatur.

§. 14. *Anthrax*, qui pustula nigro-purpurea vel alba, plana, sicca, dura, profundissimè carnem consumente & circulo rubro livido, in conspectum venit & Dimerbrokio volente, est gangræna, quatenus adhuc in fieri; Sphacelus vero quando in esse, causam agnoscit causticum illud venenum in partes musculosas effusum. Et quamvis idem in bubonum quoque causa: quia tamen à copioso glandularum sero partim diluitur, partim ab aciditate ejus quali obtusum redditur, minus illarum, quæ magis membranaceæ unctuosæque sunt substantiæ, quam musculorum carnes, quæ magis liquabiles, adurit atque erodit.

§. 15. *Curatio* ejus eadem ferè est, quæ gangrænæ ac sphaceli: alte enim statim scarificandus, Emplastro arsenicali vel alio aperiendus, pars sana à mortua, ne ulterius serpat, butyro Antim. illinito, superimposito Empl. Diachyl. cum Gumm. vel d. fuligine, separanda, & sic deinceps. Novi, qui in curatione ejus cum peritissimis quoque Chirurgis certarunt vel solis Alth. Verbasc. Rumec. Lapath. vel Sambuci foliis impositis. Sed cave, ne nimis citò cicatrice obsignetur, alioquin recidivam vel deterius quid minatur.


§. 16. Ventriculi & quidem orificii superioris ipsius debilitas symptomatum, quæ malum hocce post se trahit, non videtur postremum: Helmontius enim, cum maximum istum hujus orificii cum corde, cerebro &c. confensum; & nausæ & vomitus in peste frequentiam observaret, animam inibi sensitivam reside- re & multa mala, præcipue autem Pestem in eo exordium facere existimavit. Sed quicquid horum sit! orificii hujus ex reliquis non minima est habenda ratio: læso enim eo, in momento omnes cordis actiones lædi observamus. Quo in casu Medicos multos, qui laudem in Medicamentis naturæ ingratis sibi venantur, & appetitui miserorum satisfacere averfantur, turpiter errare; è contra multos febricitantes ultro sæpe citroque frustra Medicatos, in uno alterove appetitui suo indulgentes ex improvise restitui videmus. ( *er hats weggegeben* ) Quo iterum acidis nil-

acceptius nil præsentius: materia enim orificium lancinante expugnata, tono ejus resoluta in integrum restituta, plurima symptomata e. g. anxietas, cardialgia, inquietudo, nausea, vomitus &c. sua sponte evanescent

§. 17. Alvi fluxus, qui mortis, summam intestinorum obexationem atque sphacelum, plerumque prodromus, acida falsa-que (summi alias usus) non admittit: sed loco horum Theriacam cum Hæmarit. & aliis mixtam requirit. Alii certum Emplastrum vel fœces solummodo vini rubri abdomini imponunt, & sitim præterea commendant. Vid. Barbett. *tr. d. pest. p. m* 189.

§. 18. Circa *diætam* quæstio oritur: num temperantia, an vero crapula sit convenientior? Sunt qui exactam volunt observari diætam: Sunt qui contra vino curas immergere atque temulencia pestem quasi fugare conantur. Ast uterque peccat: omnis enim repentina ad hanc vel illam mutatio est periculosa. Si quid tamen dicendum: nos solito paulò liberaliorem tum temporis vini usum non dissuaderemus: cor enim mirè animat contra timorem, & facit oblivisci sui suæque miseriæ. Observatum quoque illos peste jam tum correptos, qui ultra appetere & posse cibos assumpsere, evasisse. De cæteris sit simplex & magis liquida. Carnis, quæ facile putrescit, optimum condimentum est acetum. Sunt qui Judæos ac Muscoviæ incolas propter continuum allii in cibis usum à peste maximè prædicant immunes. Poma cerasa-que acida cocta sunt alimentum Medicamentosum. Sed in his omnibus *sit modus*  
*in rebus sint certi denique fines.*

SOLI DEO GLORIA.



COROL-

COROLLARIA.

I.

*An Pyramidalis ista Petechiarum figura, secundum Dimerbrök, rationi sit conformis? videtur.*

II.

*An miasma illud Pestilent. cum monetis possit communicari? A.*

III.

*An vespillones non infecti possint inficere alios? A.*

IV.

*Num Pests formaliter cum mundo creata sit, an vero semper de novo creetur? Neutrum placet.*

V.

*An Pests methodicè hæctenus potuerit curari! Nego cum Clariss. Melch. Sebiz.*

VI.

*An petasones V Vestphal. in peste præbeant edulium necne? Ego facerem cum priori.*

VII.

*An aer possit putrescere? N.*

VIII.

*An cucumeres, mala Persica & hujus farina alia in peste noceant? N.*

IX.

*An vinum modicè sumptum in febris, & consequenter in Peste conducatur? A.*

X.

*An Alexipharmaca sic dicta omnia per se Pests cause resistant? Non videntur.*